



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 231. Altos saluos fecit saipsum non potest saluum facere. v. 31.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

§. 231. *Alios saluos fecit seipsum non potest saluum facere.* v. 31;

Virulenta etiam hæc sagitta est. nam Domini beneficia prædicat in alios, ipsum iugulat, quid dicam? Hoc. Habent homines morem pungendi alios acute dicitis, ita ut facetijs suis occident, omnes has strophas & verbotum insidias Christus hodie expiat. posuit se ut signum in quod sagittarent omnes qui vellent, ut hoc patiendo deleret omnem irrisorum nequitiam, irrisos confortaret.

Domine Deus, tu scis & audis qualia contra seruos tuos maximè Sacerdotes & clericos & religiosos garrant mali Catholici, & peiores his errantes populi, & pessimi ministri heresum fatores, mendaces in linguis suis, conforta obsecro seruos tuos ne pusillo sint animo, & serua plebem ne his calumnijs intendat vti Euangelij verbis.

§. 232. *Christus rex, Israël descendat nunc de cruce.* v. 32.

Et quam exitiale iaculum! quam liniidum! per illusionem & contemptum vocant ipsum (Christum) id est unctum Domini, vocant ipsum Regem imo Israelem, quia ipse dixerat, se Christum Domini, Item Regem, item vidente patrem suum Deum, quem Iudei ignorarent, Hoc nunc amaro animo ut confessata impingunt, sed malas eliciunt sequelas, de descensu illa ex ore veritatis, hæc ex magistro mendacij garnabant.

Domine Deus video te ad omnes exprobationes hodie tacere, quasi mutuis esse factus, Hoc silentium reuera fuit valde arduum quia in tali occasione solent homines dicere se non posse tacere. Gratias igitur tibi Domine debeo, qui me exemplo tuo docuisti, & merito confortasti, ut ubi nihil prodest loqui, possim tacere.

§. 233. *Vt videamus & credamus.* v. 32.

O principes Sacerdotum! quam vos stupide loquimini. ecce dicitis *vt videamus & credamus.* estne hoc rationabile? Itane cæci estis, vt vbi visio est, fidem promittere audeatis? Video satis certo iudicium communis deesse, quomodo vos in subtilioribus eritis discreti? Talia tamen etiam hodie loquuntur homines. Ostende mihi Christum in Eucharistia & credam, ostende purgatorium & credam. Patet ergo ex qua utrique sint Schola.

Quoniam omnipotens sempiterne Deus qui saluas omnes & neminem vitare perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni heretica prauitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuae redirentur.